



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 64. Casalis obsidio soluta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

„dictis, ordinibus factisque declaratio-
 „nibus oblectari consueverit, omnia-
 „que Cæsari susceperit contraria, non
 „sine indelebili summi contemptus no-
 „ta, tantum abest, ut mandatis ex
 „lege morem gesserit, ut jam proclive
 „sit ominari, quorsum hæc præsens
 „spectet expeditio: cum hætenus ru-
 „mores, ac fama titulum huic bello
 „præscripserint, proinde Cæsarem pa-
 „terne admoneo, vellet periculi ple-
 „nam id genus belli aleam declinare,
 „malumque ab Ecclesia Catholica pro-
 „cul amoliri: in sequiorem eventum
 „paratus sum, adversus hostes tam
 „Ecclesiastico, quam seculari experiri
 „gladio: Ut etiam proclive sit, illis,
 „qui militari cum potestate sunt, id
 „advenire, quod Carolo Duci Borbo-
 „nio accidit, qui modo non in facie
 „Urbis Romanæ spiritum reddidit, sed
 „sub excommunicatione Ecclesiastica
 „sempiternam ad ignominiam periit. „

§. LXIV.

Casalis obsidio soluta.

Verum hisce Papæ minis monitisque
 apud Cæsarem, ac Hispaniæ Re-
 gem longe prævaluit consilium nuper
 a Khevenhillero Legato datum: quo-
 circa Philippus IV. Rex nulla mora
 P 3 Spi-

Sæc. XVII. Spinolam Mediolanensi Præfectura ho
 A. C. 1629. noratum, & decies centenis aureorum
 millibus suffultum emisit, necnon cum
 Rohanæo Hugonotarum Principe, &
 Regem Franciæ cum suis invaderet, fo-
 dus pepigit, ea tamen lege, ut Du-
 Catholicos in urbibus a se occupatis
 nullo pacto molestaret, nec eorum
 bertati, bonis aut juribus damnum in-
 ferret: Cæsar quoque præter septem
 armatorum millia, quæ jamjam in Ita-
 liam movebant, insuper Ductore Rom-
 baldo Comite Collalto alia septem mil-
 lia pro Mantuana expeditione destina-
 bat, Wallensteinio cum suis Metin in-
 festare jussit: Interim Ludovicus Fran-
 ciæ Rex cum valido exercitu per Sab-
 audiam in Montferratam properabat.
 transitum tamen denegante Caroli
 Emanuele Sabaudæ, Rex armata ma-
 nu viam sibi aperuit, prospero admo-
 dum successu; quippe expugnato Sa-
 gusio Sabaudum, procurante Cardinali
 Richelio, ad pacem compulit, ejus-
 que ditionem longe lateque emittit.
 exercitu Victor emensus est: quo con-
 perto Gonsalvus Corduba in scio His-
 spano Rege Casalis obsidionem solvit,
 totoque Montferratensi Ducatu exce-
 dit, Toyraffio hanc urbem, & Crequi-
 Segusium ingressis: Ludovico autem
 Rege in Franciam reverso Richelieu
 Card.

Cardinalis Gallici exercitus imperium in se suscepit; postquam vero Cæsarei, ductoribus Colalto, Meradio, Aldringero, & Gallaffio cum viginti duobus peditum, & quatuor ferme Equitum millibus agrum Mantuanum occupatis omnibus ferme urbibus, torrentis instar inundaverant, & Philippus Marchionis Spinolæ Filius Montferratum cum viginti armatorum millibus invaserat, Richelius Toyrassio negotium dedit, ut protuenda Casali vicinas urbes validis muniret propugnaculis: Tandem omnium animis in bellicum apparatus intentis tam Cæsareos, quam Hispanos primum annonæ inopia, demum adulta hyems in hyberna compulit.

§. LXV.

Sylva-Ducis a Batavis expugnata.

Interim Henricus Arausionensis Princeps, ac Batavæ Reipublicæ Gubernator Belgium hostilibus armis invadere statuit: Incitabat eum continuata armorum felicitas, aurifera classis nuper Hispanis erepta, exhaustum Regni ærarium, indeque Procerum, militumque indignationes adversus Hispaniæ Ministros, ipsamque Isabellam Belgii Catholici Gubernatricem exortæ: His accessit innatum in Austriacos, Catho-

*Hist. du
Siege de
Bolduc.
Ferrer. cont.
Hist. Hisp.
tom. 12. c. 1.
Newill. hist.
d'Holl. t. 2.
pag. 62.*